

V C  
1158



QK 49.  
L. 1159.

Q. D. B. V.  
De

V c  
1158

# MISNIA ROMANA CONSENSU

In clytæ Facultatis Philosophicæ in  
Academia Lipsiensi,

P R A E S I D E

DOMINO

M. JOH. HEINRICO ERNESTI,  
Prof. Publ. & ad D. Thom.

Rectore

*differet*

*Autor Respondens*

JOHANNES GOTOFREDUS DACHSELD,

Alt-Leisn. Misn. SS. Theol. Stud.

ad diem 22. Januar. A. O. R. M DC XCVIII.

H. L. Q. C.

---

Typis JOHANNIS GEORGII.

8







## Q. D. B. V.

### PROEMIUM.

**N**ULLÆ ferme gentes sunt, quibus non cum aliis populis quædam communia sint. Ita apud Græcos quædam fuerunt, quæ ab Ægyptiis acceperant. Ad Romanos etiam à Græcis quædam translata fuerunt. Nec defuerint & apud Hispanos, & apud Gallos, & apud alias gentes, quæ à Romanis quondam observata fuerunt. Et hac ratione quædam etiam inter Germanos occurunt, quæ apud Romanos gentiles olim obtinuerunt. Et imprimis mihi observatum fuit, non paucos ritus in Misnia nostra adhuc in usu esse, qui si non ab ipsis Romanis ritibus originem traxerunt, iis certè tamen ita conformes sunt, ut ne in duobus quidem ovis major similitudo reperiatur. Et de hac materia commentari nunc quædam consilium est. In qua re duo præstabimus. Nam primum ex antiquitate Ro-

A 2 mana

mana duodecim exempla allegabimus, quæ vel Româ in Misniam translata sunt, vel æquè etiam ac apud Romanos obtinuerunt, in Misnia invaluerunt. Altero vero labore de exemplis quædam disceptabimus, quidque in iis notatu dignum brevibus observationibus declarabimus. In utroque autem, quâ theses hæ tractari debebant, accurationem promittere non licet. Id enim brevitas temporis, quo hæc scribimus, non permittit. Specimina igitur tantum & rudera prima materiæ exhibebimus. Tu vero Supreme parens nostris benigne quæso annue votis.

§. I.

PRincipio statim patebit ratio, cur dissertatio hæc Misnia Romana appellata sit. Misnia nimirum dicitur, quoniam aliquid hîc invenitur, quod in Misnia obtinet; Romana vero, quoniam aliquid occurrit, quod apud Romanos in usu fuit. Misnia verò Romana conjunctis vocibus appellatur, quod quæ in Misnia existunt, convenientiam habent cum iis, quæ apud Romanos olim in usu fuerunt.

§. 2. Sed Exempla enarrabimus. Persuasio obtinet inter Misnenses, facturum id hominem per totum annum, quocunque primo die novi anni suscepit. Jubentur igitur vulgo abstinere à malis, ne per totum instantem annum mala faciant. Jubentur etiam in peragendis bonis non remissi esse, ut per totum annum ad præstanta bona sint paratisimi. Pla-

ne,



ne eadem persuasio & apud Romanos erat, de qua Ovidius Lib. 1. Fast. v. 165. sqq.

Post eam mirabar, cur non sine litibus esset

Prima dies. Causam percipe, Janus ait:

Tempora commisi nascentia rebus agendis;

Totus ob auspicio ne foret annus iners.

Quisque suas artes ob idem delibat agendo,

Nec plus quam solitum testificatur opus.

Conferatur Seneca Epist. 83, ubi scribit, quod Calendis Januariis in Euripum saltarit, & anno novo, quem admodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicatus sit in Virginem desilire. Et apud Tacitum Lib. 4. Annal. Cap. 36. scribitur Drusus Praefectus urbis auspicandi gratia tribunal ingressus esse, ad quem locum plura de hoc ritu congesit Lipsius.

§. 3. In ea opinione sunt multi ex Misnensibus, ominosum esse, quodcunque alicui primum in via occurrat. Idem vero etiam factum est apud Romanos. Ideo enim dicta esse calendis Januariis, in quas initium novi anni inciderat, bona verba, aiit Naso, quod principiis omina inesse soleant. Pertinent huc versus sequentes ex L. 1. Fast. v. 175. sqq.

At cur lata tuis dicuntur verba Calendis,

Et damus alternas accipimusque preces.

Tum DEUS incumbens baculo, quem dextra gerebat,

Omina principiis inquit inesse solent.

Ad primam vocem timidas advertitis aures,

Et visam primum consulit augur avem.

Pertinetque etiam huc, quod cum Romulus & Remus experiri vellent, uter regere deberet, Remus pro se advolantes primum sex vultures interpretaretur Flo-

*rus Lib. 1. Cap. 1. Conducere possunt exemplo huic illustrando, quæ eruditè more suo congesit Piccartus Observ. Histor. Politic. Dec. 3. Cap. 4. in quo loco materiam tractat, leporem animal infaustum esse, & inauspicati ominis.*

*§. 4. Non unus locus in Misnia, in quo animæ defunctorum ultimo honore non affectæ errare in terrorem viventium præcipuè cognatorum creduntur. Credimus vero iterum hanc superstitionem ex gentilitate Romana in patriam nostram translatam esse. Nam idem planè censuere Romani, de quibus Ovidius L. 2. Fast. v. 547. sqq.*

*At quendam, dum longa gerunt pugnacibus armis  
Bella, Parentales deseruere dies.*

*Non impune fuit. Nam dicitur omne ab isto  
Roma suburbanis incaluisse rogis.*

*Vix equidem credo: Bustis exisse feruntur,  
Et tacita queste tempore noctis avi.*

*Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros  
Deformes animas vulgus inane ferunt.*

*Post ea præteriti tumulis redduntur honores,  
Prodigiisque venit funeribusque modus.*

*Quod si vero crederemus, inde etiam, quæ de exercitu furioso, germanicè dem wütenden Heere/circumferuntur, originem suam traxisse. Nempe Rustici Misnici persuasi sunt, in nonnullis locis audiri certis temporibus tumultus hominum, per sylvas & agros cum maximis ululatibus & clamoribus vagantium. Romanam vero hanc superstitionem esse, vel inde credibile videri posse, quoniam de auditu hoc exercitu relationes rusticorum præcipue circa tempus gesti belli Germanici inva-*

invaluerunt, notumque est, fervente bello præcipue honoribus sepulturæ carere interfectos homines. Ex qua causa & Ovidius recenset, avos ululasse per Latios agros, quod tempore belli parentalia intermissa essent. Cœterum de Exercitu Furioso multa eruditè collegit Dominus M. Paulus Hilscher, Diaconus Palæo-Dresdensis in Disputatione, quam habuit de exercitu furioso in hac Academ. d. 10. April. 1688. quæ merentur legi.

§. 5. Moris est apud nonnullos Rusticorum, ut animalibus, herbis, rebusque aliis caris, quas exoptant, sine noxavel adolescere, vel in flore jam imperato perseverare, particulas panni imprimis rubri vel affigant, vel annexant, quibus adversus linguas nocentium nimiis laudationibus hominum defendantur. Iterum res Romana. Audite enim Poetam Ovidium *I. Fast. v. 571. seqq.*

*Ecce anus in mediis residens annos a puellis  
Sacra facit Tacita; vix tamen ipsa tacet.  
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit,  
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.  
Tum cantata ligat cum fusco lici a rhombo,  
Et septem nigras versat in ore fabas.  
Quodque pice adstrinxit, quod acutrajecit abena  
Obsutum Manæ torret in igne caput.  
Vina quoque instillat. Vini quodcumque relictum est,  
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.  
Hostiles linguas inimicaque vinximus ora  
Dicit descendens, ebriaque exit anus.  
Et forte eo major videbitur inter Romam & Misniam  
esse convenientia omnibus, quotquot exploratum est,  
nostro*

nostros etiam, dum licia affigunt, certis id ceremoniis  
certisque verbis peragere. Liciorum autem ma-  
gnum usum fuisse in incantationibus apud veteres, pa-  
tet etiam ex loco Virgilii sequente Eclog. 8.

*Ducite ab urbe domum, mea carmina ducite Daphnium.*

*Terratili hæc primum triplici diversa colore*

*Licia circumdo --- & paulo post;*

*Nec te tribus nodisternos Amarilli colores.*

Plura loca, quæ ad illustrandum hunc ritum perti-  
nent, allegavit Taubmannus *Comment. in hunc locum*  
*p. 85.*

§. 6. Solent in nonnullis locis certis tempori-  
bus fines urbis aut pagi lustrari, eo nempe fine, ut illæ-  
si maneant, siue per præteritum annum terminus  
motus sit, ut restituatur iterum. Vocatur à nonnullis  
hæc solennitas die Landwähre / quasi die Landgewähre /  
in qua terra præstetur (oder der Rehrtag) finitaque  
ipsa lustratione compotationes quoque instituuntur.  
Sed ita celebrabantur etiam Terminalia apud Roma-  
nos, de quibus Ovidius *L. 2. Fast. v. 657. seqq.*

*Conveniunt celebrantque dapes vicinia simplex*

*Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.*

Adscribam locum Siculi Flacci, quo rationem defigen-  
dorum finium describit apud Rosinum *Antiquitatibus*  
*Romanis Lib. 8. Cap. 9.* ut quibus ritus Misnensium noti  
sunt, judicare possint, quid ex Antiquitate Romana  
residuum sit. Ita autem Flaccus: *Cum terninos dispone-  
rent, ipsos quidem lapides in solidam terram convocabant,  
proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, & un-  
guento vel ambinibusque & coronis eos coronabant. In fossis  
autem, quibus posituri eos erant sacrificio facto, hostiaque  
immo*

iiis  
na-  
pa-  
  
rti-  
m-  
ori-  
llæ-  
nus  
ullis  
yret  
ne  
tur.  
mā-  
  
gen-  
ribus  
noti-  
na-  
one-  
ant,  
un-  
ossis  
que  
mmo

immaculata cæsa, facibus ardentibus in fossa cooperti, sanguinem instillabant, eo que fruges & thura jactabant, favos quoque & vinum aliaque, quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant, consumptisque omnibus dapibus igne super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligentia cura confirmabant.

§. 7. Notum est inter delicias rusticorum Misnensium haberi carnem suillam. Neque enim delicatius quicquam se habere posse existimant, quam si animalis dicti carnibus vescantur. Id vero non aliunde est, quam ex Cerealibus Romanorum. Hoc festo non licebat mactare bovem sed suem. Conviviaque adeo in hoc Festo instituta non ex carne bubula, sed suilla constabant. Rusticos autem imprimis Cererem collere oportebat. De sue mactata testatur Ovidius Lib. 4. Fast. v. 413. sqq.

*A bove succincti cultros removete ministri,  
Bos aret, ignavam sacrificare suem.  
Apta jugo cervix non est ferienda securi,  
Vivat & in dura sape laboret humo.*

Et magis verisimile videtur ex causa notata suillam carnem bubulæ præferri, quod etiam apud Græcos servatum custoditumque est, ne bovem aratorem, qui jugum traheret, vel cum aratro, vel cum plaustro mactarent, quoniam ille agricola est, & humano generi laborum socius, ut est apud Ælian. Var. Histor. Lib. V. cap. 14.

Nec prætereundum hoc loco est, verisimile videri, non alia etiam ex causa pultem ex milio coctam à Rusticis Misnensibus in pretio haberi, quam quod liba ex

B

hoc

hoc frumento cocta Pali Deæ Rusticæ in Palilibus of-  
ferebantur, de quare Ovid. l. 4. Fast. v. 743. sqq.

*Libaque de milio milii fiscella sequatur,*

*Rustica præcipue quo Dea lata cibo est.*

Ut itaque carne suilla in honorem Cereris; Sic pulte  
ex milio cocta in honorem Palis delectabantur Ro-  
mani.

§. 8. Solent nostri pastores in Vigiliis Walpurgis stabula, quibus pecora servantur, vestire frondibus noviter videntium arborum, quæ à nonnullis ex novem arborum speciebus decerpuntur, hoc consilio, ne vagantes nocturno tempore sagæ, quæ per noctem Calendas Majas, i. e. Festum Walpurgis antecedentem, conventum solenniorem celebrare creduntur, pecoribus noxam inferant, atque adeò fructus intercipiant, quos per instantem æstatem ab iis experient. Ecce iterum ex Palilibus Romanis residuum. Planè enim eadem de hoc festo canit Ovidius Lib. 4. Fast. v. 735. sqq.

*Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustra,*

*Undaprius spargat, virgaque verrat humum.*

*Frondibus & fixis decorentur ovilia ramis,*

*Et tegat ornatas longa corona fores.*

Et paulo post:

*Consule dic pecori pariter, pecorisque magistris,*

*Effugiat stabulis noxa repulsa meis.*

§. 9. Postulat consuetudo in nonnullis Misniæ locis à superstitionis, ut Calendis Majis ante ortum solem & corpora rore tingant, & liquorem ipsum collectum servent, eum in usum, ut pulchram formam retineant jam habitam, parareque sibi possint nondum.

præ-

præsentem. Sed idem fiebat etiam in Palilibus Romanis, de quo festo Poetanoster L. 4. Faſt. v. 777.

*His dea placanda est: Hec tu conuersus ad ortus  
Dic ter Es in vivo prolucre manus.*

Sanè tempus convenire exacte videtur. Nam rustici nostri rāngunt se rore Calendis Majis, sed Palilia in fine Aprilis apud Romanos celebrabantur.

§. 10. Lipsiæ Carnificis ministri duabus per annum vicibus à supervacaneis canibus urbem liberant, captosque interficiunt. Fitque id cùm tempore quadragesimalis Jejunii, quod in Mensem aut Martium, aut Aprilem incidit, tum tempore messis seu dierum, quæ dicuntur, canicularium. Quæris unde sit hæc res? Cogita, an non iterum à Romanis accersere possis. Ovidius certè testatur in Robiginalibus mactatum canem esse, quod festum ultimis Aprilis diebus fiebat. Et causam etiam mactatæ canis reddens hæc ait *Lib. 4. v. 939. sqq.*

*Est canis (Icarium dicunt) quo sidere moto  
Tosta fitit tellus præcipiturque seges.  
Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ;  
Et quare pereat nil nisi nomen habet.*

Nempe ita capis, canes mactari, quod orto sidere canino terra multum patiatur à Robigine. Sed in mensem Aprilis Robiginis festum incidebat, & tempore messis maximè furit sidus canis. Ergo habes fatalia canibus Aprilis & Junii tempora. Cœterum & apud Græcos diebus canicularibus festus dies Cynophontis agebatur, de qua re videri potest Athenæus *Lib. III. Deipnosophistarum* fol. m. 99. Conferatur etiam Casaubonus Notis in hunc locum, qui suspicatur, Argivos festum hunc diem pacandæ Dianæ instituisse.

§. II. Solet post natalitas CHRISTI fieri , ut mercenarii , Servi & Ancillæ , postquam Dominos , quibus præterlapso anno operas suas addixerant , mutarunt , antequam ad novos dominos accedunt , genio indulgeant , compotationibus , saltationibus , voluptatibusque aliis operam dantes . Faciuntque id non tantum quisque in loco , in quo vivit , verum etiam excurrunt in proximas urbes , quando nundinæ celebrantur . Hunc ritum vero ex Saturnalibus Romanorum residuum esse , quis negare ausus sit ? Nam hoc festo servis licebat etiam potare & epulari . Quæ res ut ex multorum Autorum locis clara est , sic de ea imprimis legi meretur Macrobius in libris Saturnaliorum . Persuadent autem præcipue tria similitudinem rerum . Nam & apud Misnenses magna servorum & ancillarum licentia est , quemadmodum apud Romanos fuit . Saturnalia vero Romanorum in mensem Decembrem incidebant , quo mense ut & sequente Januario nostri homines etiam feriantur . Et festum nostrorum per integrum fermè etiam in mensem , ut Romanorum solennitas extenditur .

§. 12. In Silesia non solum , sed quibusdam etiam locis Misniæ congregati pueri & puellæ simulacrum aliquod mortis ex urbe ejiciunt processionibus institutis . Fit id Dominica Lætare , quæ idcirco etiam der Todensontag appellatur . Nihil me impediet , quo minus & hanc ceremoniam inter reliquias gentilitatis Romanæ referam . Fieri enim & idem Romæ olim consueuisse , fidem facit Ovidius L . 5 . v . 621 . sqq .

Tunc quoque priscorum virgo simulacra virorum  
Mittere roboreo scirpe a ponte solet .

Ex

ut  
nos,  
nu-  
enio  
olu-  
non  
ex-  
ran-  
rum  
festo  
t ex  
imis  
Per-  
m.  
illa-  
fuit.  
em-  
no-  
per-  
n fo-  
n et-  
ula-  
ibus  
tiām  
dīet,  
ntili-  
æ o.  
  
Et

Et similitudo manifestior fit ex causa ritus, quarum et-  
sitres reddat Poëta, ultima tamen & ab ipso judicatur  
verisimillima, & opinionem nostram egregiè confir-  
mat. Exhibitetur autem his verbis v. 638. sqq.

Hæc loca desertas vidi sine mænibus herbas,  
Pascebatur sparsos utraque ripa boves.  
Et quem nunc gentes Tyberin noruntque timentque,  
Tunc etiam pecori despiciendus eram.  
Arcadis Evandri nomen tibi sepe refertur  
Ille meus remis advena torsit aquas.  
Venit & Alcides turba comitatus Achiva  
Albulasi memini, tunc mihi nomen erat.  
Excipit hospitio juvenem Pallantius heros  
Et tandem Caco debita pœna venit.  
Victor abit, secumque boves Erytheida prædam  
Abstrahit, At comites longius ire negant.  
Magnaqua pars horum desertis venerat Argis  
Montibus his ponunt spemque laremque suum.  
Sepe tamen patriæ dulci tanguntur amore  
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus.  
Mittite me Tyberi: Tyberinis vectus ut undis  
Littus ad Inachium pulvis inanis eam.  
Displacet heredi mandaticura sepulchri  
Martius Ausonia conditur hospes humo.  
Scirpea pro domino Tyberi jactatur imago.  
Ut repetat grajas per freta longa domos.

§. 13. Notius est, quam ut dici debeat, solere ex  
Misericordia nonnullos certis diebus certum ciborum ge-  
nus assumere, ut per instantem annum à certis mor-  
bis existant immunes. In vigiliis enim Nativitatis  
CHRISTI, quicunque haleces comedunt, à febribus

non infestari creduntur. Et in die viridium melle qui vescuntur, impedimento esse feruntur, quo minus per sequentem annum in asinos mutentur. Atque olim etiam apud Romanos in festo, quo cardinum Deæ sacra fiebant, lardum atque fabas comedebant, quibus pastis viscera lædi non posse credebantur. Ovidius de hac re ita *L. 6. v. 179. sqq.*

*Sus erat in pretio cœsare festa colebant.*

*Terra fabas tantum duraque farradabat.*

*Quæ duo missa simul sextis quicunque calendis*

*Ederit, huic lædi viscera posse negant.*

§. 14. Sed absoluta sunt exempla duodecim.

Nunc ad observationes veniemus.

§. 15. Et primo quidem sciendum est, non omnia exempla congesta nunc esse, quæ in hanc materiam coacervari possunt. Nam & longè plura cum ex Ovidii Fastis, tum ex aliis autoribus haberi possunt. Ex Nasone duo hæc, quæ sequuntur, sufficient. Multi persuasum habent, si quid feliciter agendum sit, media nocte id faciendum esse. Sed de hac re erudit nos etiam Naso *L. 5. Fast. v. 429. sqq.* Sic exemplum etiam apud Ovidium est, striges per noctem infantibus sanguinem exsuxisse, ut talia facere posse etiam inter nos nonnulli credunt. Vid. *Libr. 6. Fast. v. 130. sqq.*

§ 16. Ex aliis autoribus unicum exemplum allegabimus de παννυχισμοῖς seu pervigiliis. Autor enim est Andreas Rivenus in *Commentario in Pervigilium Veneris* p. 7. in multos Deos pervigilia fuisse instituta, sed præcipue tamen Veneri in iis litatum esse. Quo sensu etiam apud Plautum in Prologo Aululariae audimus Larem narrantem, adolescentem virginem aliquam stuprasse non  
du

*et tu Cereris vigiliis.* De quibus plura etiam congesit Elmenhorstius Notis ad Arnobii *L. 5. adversus gentes p.* 167 Sed hujus ritus reliquiae extant & adhuc in nonnullis locis Misniæ. Solent enim certo tempore pueri puellæque præcipue in pagis convenire, totamque noctem compotationibus, saltationibus aliisque ludicris rebus peragere. Vocantur hæc pervigilia vulgo germanico vocabulo die Frühauß.

§. 17. Atque ex his facile simul etiam patet, sermonem non esse nobis de convenientia omni, quæ inter res priscas Romanorum, & res Misnicae intercedit. Nam observare licet, multa in veterum libellis memorari, quæ etiam apud nos fiunt. Sed tamen non apud nos esse censenda sunt, quoniam à veteribus acceperimus, non habituri, nisi adepti essemus, sed quia ex communi humanæ naturæ conditione omnes, qui homines sumus, idem facimus. Tale exemplum occurrit apud Martialem *L. 2. Epigr. 5.*

*Spec̄as ἐσχατοκαλπὸν, Severo,*

*Et longas trahis oscitationes.*

Nam & in nobis hodie adhuc duo hæc reperimus tardiosi lectoris signa, quæ in Severo notat Poëta, quorum altero. antequam ad finem pervenitur, semper respiciunt ad ultimam paginam, ut exploretur, num plura adhuc legenda restent, altero variæ oscitationes inter legendum ducuntur, quæ lassitudinis perpetuo comites esse solent.

§. 18. Sed ab hypothesis, qua hactenus Misniam Romanam tractavimus, transgrediendum ad thefin. Paucisque videbimus, quid de ea sittenendum, si paulo generalius, quam in exemplis, considerare placeat.

Defi-

Definiemus itaque, quod sint ritus occultis Satanæ machinationibus per varias occasiones tectè ex gentilitate Romana ad Misnenses Christianos nunc majore, nunc minore similitudine in variis rebus translati, ut vera Christi doctrina sordibus gentilibus fœdaretur, verusque adeo DEI cultus nefanda superstitione impeditetur.

§. 19. Causam efficientem Diabolum asserimus. Nam ut in ultimis thesibus ostendemus, omnia hic mala sunt. Non aliunde igitur est, quam à Diabolo, qui omnis malifons & origo.

§. 20. Neque tamen sine mediis diabolum in introductione hanc rem egisse existimandum est. Facileque, si omnia consideremus, apparebit, quasdam occasions quæri debere extra Misnicos, qui ritus Romanos receperunt, quasdam vero in Misnicis ipsis.

§. 21. Inter occasiones extra Misnenses quærendas sunt

1) gesta à Romanis gentilibus adhuc cum Germanis bella. Per ea enim res Romanorum Germanis non solum innotuerunt, sed & ad eos pervenerunt.

2) Juris Romani ad Germanos translatio.

3) literarum elegantiorum ab eadem gente ad nos derivatio.

4) frequentia Germanorum cum Romanis, postquam sua cum istis junxerant, literarum, rerum, negotiorumque commercia.

5) Papatusque imprimis Ronia in Germaniam veniens.

§. 22. Occasionem, quæ in Misnicis quærenda est, nomino propensissimam omnium hominum ad super-

superstitionem proclivitatem, quâ non solum recipiatur, quicquid ad cultum DEI facere ullo modo videtur, etiam si à nullo antea factum sit, sed nunquam etiam illud repudiatur, de quo audimus, quod ab aliis gentibus ad honorē DEI promovendum jam determinatum sit. Hoc maioresque hæc propensio vires consequitur, quo sæpius per illusiones Diabolicas fides fieri judicata est, efficacissima non solum per id, in quo superstitione exercetur, vel commoda rebus humanis parata, vel incommoda varia ab iis amota esse; verum etiam, si negligatur, & certissimas, & atrocissimas calamitates contractas esse.

S. 23. Atque hæc illusio Diabolica in variis rebus occupata est. Quod si enim examinemus paulò distinctius, quæ exempla allata sunt, reperietur similitudo quædam inter Romanas Misnicasque res quæsita esse primum circa res Theologicas, deinde circa Politicas, ad postremum circa res œconomicas. Exemplum ex Theologicis est, ominosum esse, quodcunque exeunti primum in via occurrat. Politicum appello, interfici canes in Martio & Julio, item compotationes institui post visitatos agrorum fines & terminos. Ad œconomiam denique pertinent, liciis rubri coloris ligari animalia & herbas crescentes, ne noxa à linguis nocentibus inferatur. Ut & inter delicias cibarias Rusticorum Misnensium referri carnem suillam, & pultem ex milio paratam.

S. 24. Forma consistit in similitudine, qua ritus Misnensium cum ritibus Romanorum conveniunt. Quæ quidem in nonnullis exemplis quoad multas circumstantias contingit, in nonnullis vero quoad pauciores.

C

ciores. Non itaque convenientia ista in omnibus eadem statui debet, sed pro diversitate exemplorum diversa. E. g. Similitudo in nonnullis exemplis quæri debet non tantum quoad rem, verum etiam quoad tempus & locum. In nonnullis vero non nisi convenientia rei ipsius apparet, quoad locum vero & tempus, ut & alias circumstantias omnia sunt diversissima. Rem specialiori ratione ostendere brevitatis ratio, quam observare me nunc oportet, non permittit.

§. 25. Finis ex parte Satanæ est partim immunitio honoris divini, partim sedu<sup>c</sup>tio & pernicies hominum. Nam permittere non vult Diabolus, homines, qui Christiani sunt, veram doctrinam colendi DEI ita obtinere, quemadmodum ex S. Scriptura per Apostolos eorumque fideles successores ostensa est, sed filium suum adsparget, quo cum gloriam DEI impedit, tum homines ad perniciem seducit. Homines vero, in quibus hæc similitudo existit, videntur quidem & honorem DEI & commodum suum quærere, sed bonum, ad quod sic respiciunt, non est verum, sed apparen<sup>s</sup>, quo ex intentione impellantis Satanæ non nisi malum, nempe infamatio DEI & interitus hominum occultatur.

§. 26. Sed hæc omnia, quæ ha<sup>c</sup>tenus dicta sunt, ea opinionenituntur, ritus, qui apud Misnenses existunt, similesque Romanis moribus videntur, à Romanis ad nostros translatos esse. Videndum itaque nunc est, annon probabilitate aliqua opinio ista etiam se commendet. Id quod quidem nos affirmare non veremur.

§. 27. Et urgemos initio quidem studia & malitiam

litiam Dæmonis, qui nihil antiquius habet, quam ut feras suas divinæ puritati immisceat. Sic apud Judæos colendi DEI rationi ab ipso suppeditatæ nunc stercora Ægyptiaca, nunc Moabitica, nunc aliarum gentium, cum quibus congregiebantur Judæi, adspersit. Sic Christianorum sacra ab Apostolis accepta opinionibus gentilium variis infecit. Et quemadmodum apud gentiles fabulis variis veram doctrinam occultat, ut autoritatem suam apud cultores suos stabiliat; ex qua causa simia DEI passim audit: ita doctrinam DEI veram suis figmentis conspurcat, ut autoritatem DEI apud cultores ejus imminuat.

§. 28. Probamus sententiam nostram secundo ex convenientia ipsius rei. Quod si enim omnia accurriore paulisper cogitatione expendere placeat, deprehendetur, non ovum ovo esse tam simile, quam ritus Misnensium cum Romanis in plerisque exemplis, & quoad materiam, & quoad formam, & quoad finem conveniunt.

§. 29. Verisimilis videtur tertio opinio nostra, quod abundantia supra jam memoravimus media, quibus Romanæ consuetudines ad Misnenses transire potuerunt.

§. 30. Porro non negamus, in nonnullis exemplis distinguendum esse id, quod ex superstitione Romana translatum est, ab eo, circa quod superstitione ista occupatur, quodque rem, quæ, si in se spectatur, bona est, complectitur. In consuetudine v. g. qua Mense Aprili & Julio Lipsiæ à Carnificis ministris canes interficiuntur, res ipsa, si in se spectatur, non mala est. Quis enim vituperet, Rempublicam à malo liberari, ut actio-

ne ista contingit. Sed id tamen superstitionem est quod eo tempore interficiuntur, quo inter cultus idololatricos canes maestari quondam debebant. Sic culpari non potest, si Rustici carnem suillam edant, & pultem ex milio coetam aliis cibis preferant. Sed illud tamen hanc consuetudinem superstitionis suspectam facit, quod eodem cibo Rustici quondam in Sacris Cereris & Palis utebantur. Pari ratione fieri potest, ut morbo non corripiamur, si certo tempore a certo cibo abstineamus. At prorsus ordinare velle, ut hoc die hoc cibigenus assumatur, eique rei tantam efficaciam inesse statuere, ut qui fecerit, per totum annum a malo liber sit & immunis, id a Christianis sacris alienum censemus.

§. 31. Dixi autem hoc discrimen in nonnullis exemplis tantum constituendum esse. Nam omnino quædam ita comparata sunt, ut nihil in eo reperiatur, quod non sit rejiciendum. Hocque de eo judico, quod opus illud feliciter per totum annum succedat, quod expediendum primo anni die aggressus sis. Iterum, quod ominosum sit, quicquid primum exeunti in via occurrerit. Iterum, quod animæ non sepultorum hominum noctu errare, hominesque propinquos, qui in faciendo exhibendi ultimi honoris officio negligentes fuere, infestare creduntur. Idem judicium ferdum est de aliis.

§. 32. Facit haec distinctio, ut non tantum res ipsa exactius intelligatur, sed ut etiam de qualitate ejus eo accuratius judicari possit. Nimirum non veremur totam rem rejicere, autoresque esse, ut quicquid residuum est, id removeatur. Nam omnia ex superstitione

stitutione fiunt. Et quis est, cui persuaderi possit, tolerandam rem esse, quam ex gentilitate Diabolus ad Christianos hoc consilio traduxerit, ut simo suo epulas cœlestes inficiat & conspurcat. Sed non nego tamen etiam, minori faeditate laborare, in quibus aliquid est, quod in Republica usum habere potest, quam quicquid, quantum est, superstitionis macula corrumpitur.

§. 33. Neque à sententia prolata removere nos potest, vel quod bonum est, quod in ritu isto peragatur, ut de interficiendis canibus, & institutis post visitatos terminos frugalibus conviviis judicari debet, vel, quod, si quid ex gentilitate consuetudini adhæreat, id ab ignorantibus aut olim acceptum sit, aut hodie etiam peragatur. Nam levis macula vitiat totam actionem, ut integrum vini boni vas gutta veneni inficit. Et dum consideramus res aliqua an bona an mala sit, non tam spectandum, utrum à sciente, an ignorante fiat, quam utrum cum lege conveniat, nec ne Persuaderi autem mihi nunquam poterit, leges ferre, quod à diabolo ex gentilitate ad Christianos traditum fuit. Ut taceam, postquam literæ adeò excellenter etiam in Misnia exultæ sunt, non amplius latere posse, in ritibus istis aliquid mali ex gentilitate superesse.

§. 34. Sed hæc de summo rigore dicta sint. Interim vel magistratus ipsos, qui certos ritus permitunt, vel Rusticos etiam, qui carnem suillam & pultem ex milio coctam comedunt, non damnabimus. Fruantur suis rationibus, quibus se defendere vel vo-

Iunt vel possunt. Nos nostram sententiam diximus,  
& putamus etiam, non plane displicituras esse ra-  
tiones adductas, si paulo consideratius examinen-  
tur. Idque hoc magis futurum confido, si facta  
diligenti inquisitione intelligatur, nec ipsos carnificis  
ministros sine multa superstitione, quae variis vel ver-  
bis vel ceremoniis peragit, canes forte capere.

---

## SUMMARIUM

### Totius Dissertationis

**U**T multæ res ab una gente ad alias transferunt, sic ritus quo-  
que nonnulli ex Religione Romanorum in Misniam translati  
sunt. Proem. Vocantur hi ritus Misnia Romana §. 1. Adducuntur  
duodecim exempla, primum, facturum id hominem per totum anum,  
quodcumque primo die novi anni suscepit §. 2. secundum, ominosum esse,  
quodcumque alicui primum in via occurrat §. 3. Tertium, Animas defun-  
ctorum ultimo honore non affectorum errare in terrorem viventium §. 4.  
quartum, animalibus & herbis affigli licia rubri præcipue coloris, ut à lin-  
guis nimiis laudationibus nocentium tutæ sint §. 5. quintum, post visita-  
tos solenni anni die terminos compotationes institui §. 6. Sextum, car-  
nem suillam & pultem ex milio paratam delicias esse rusticorum §. 7. Se-  
ptimum, in vigiliis Walpurgis stabula & simeta frondibus vestiri §. 8.  
Octavum, pulchritudinem captantes Calendis Majis ante ortum solis cor-  
pus rōre tingere. §. 9. Nonum, canes Mense Aprili & Julio capi & inter-  
fici §. 10. Decimum, servos ancillasque à dominis dimissos, mense Ja-  
nuario potare & ludere. §. 11. Undecimum, mortis simulacrum certo  
tempore expelli §. 12. Duodecimum, assumendum esse certo die certum cibi  
genus, ut à morbis immune corpus per annum instantem servetur. §. 13.  
Transitus ab exemplis ad considerationem rei §. 14. Non omnia exem-  
pla adducta sunt, quæ adduci possunt. Et duo allegata adhuc ex Ovidio.  
§. 15. Et de παννοχιστοῖς unum ex aliis Scriptoribus §. 16. Non omnia  
a Roma-

ius,  
ra-  
uen-  
facta  
ficiis  
ver-  
  
quo-  
nslati  
untur  
num,  
n esse,  
efun-  
§. 4.  
ā lin-  
visita-  
car-  
7. Se-  
i §. 8.  
s cor-  
inter-  
se Ja-  
certo  
m cibi  
. §. 13.  
exem-  
ovidio.  
omnia  
Roma-

ā Romanis ad Misnicos pervenerunt, que cum Romanis convenientiam habere videntur §. 17. Definitur Misnia Romana, quod sint ritus ā Romanis ad Misnicos traducti §. 18. Diabolus traduxit. §. 19. Occasionibusque usus est intuitu Misnensium partim externis §. 20. 21. partim interna. §. 22. Objectum §. 23. Forma. 24. Finis §. 25. Probatur, omnes hos ritus ā Romanis ad Misnicos pervenisse §. 26. 27. 28. 29. discrimine factō alii ritus pure superstitioni dicuntur, in aliis rebus bonis superstition adhæret. §. 30. 31. Vitiositatis arguuntur ritus omnes, majoris tamen, qui pure superstitioni sunt. §. 32. Vindicatur ab objectionibus assertio. §. 33. Moderamen sententia. §. 34.

Vana superstitione Latii quae pectora quondam  
Duxit, eam & passim Misnia servat adhuc.  
Quo victu Cereris peragebat festa Palisque,  
Gaudet apud nos hoc rustica turba cibo.  
Quo canibus Latium placat Robiginis aras,  
Misnia eō cædit tempore nostra canes.  
Primum occurrentes faciunt res omina nostris,  
Roma olim ut pariter facta futura capit.  
Frondibus in primo decorantur ovilia Majo,  
A stabulo ut noxas damnaque multa fugent.  
Romanis olim spectate Palilia facta.  
Et similitutum est tunc ratione pecus.  
Luxuriant nostri Jani per tempora servi.  
Saturni hoc tradunt festa vetusta malum.  
Exponis docto, Dachselde, hæc omnia scripto,  
Et quoque jam positis plura notare placet.  
Claris divitias animi conatibus effers,  
Conspicienda bonis mensque perita datur.  
Quæ veterum semper perreptat scripta librorum,  
Ex istis ritu mellaque portat apis.  
Obene! Concipitur sic vera scientia semper,  
Hocque ad doctrinæ culmina dicit iter,

Tu



*GAK 96 1157*

Tu perge & simili percurras sacra labore;  
Res ex divinis colligitaque libris.  
Sic qui Te studiis facies gaudere dicarunt,  
Affluere imprimis l<sup>a</sup>etitiaque Patrem,  
Docta mente diu sanctis qui deditus aris!  
Exemplum semper, quod sequerere, fuit.  
Sic quondam patriæ per munus tractus ad usus  
Non una fructus utilitate feres.  
Misnia, quod sequitur ritus, Romana vocata est,  
Queis Satanæ fordes impia Roma colit.  
Romani meritis tribuunt quoque praemia quondam.  
S<sup>i</sup>t Romana Tibi hoc Misnia, ut opto, modo.

Nobilissimo Dn. Respondenti Dissertationis  
hujus Autori

gratulationis causa

f.

Præses.



tionis  
es.  
*w C*

ULB Halle  
004 779 843

3



WDT



QK 4.9.  
d. 11. 9.

M  
R


In clyt

M. JO  
P

JOHA

ad di

— —



IA

NA

ophicæ in

CRNESTI,  
Thom.

ACHSELD,  
Stud.  
C XCVIII.

GII. — —

Vc  
1158

8